

12
A. S. num. 8.
1777, 40.
DE NATIS
EX MATRIMONIO VASALLI

CVM DISPENSATIONE PRINCIPIS

INITO A SVCCESIONE IN FEVDA

HAVD EXCLVSI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

CHRISTIANO RAV

I. V. D. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.

A. D. XIX. IVNII MDCCCLXXVII

H. L. Q. C.


DISPV TABIT

FRIDERICVS LVDOVICVS STIEGLITZ

LIPSIENSIS

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



EXCELLENTISSIMO
ATQVE
ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
FRIDERICO LVDOVICO
DE WVRMB,

DYNASTAE CLIENTELAE GROSSEN-FVRRAE
SERENISSIMI DVCIS SAXONVM ELECTORIS ADMINISTRO
REIPVBL. GVBERNANDAE ET COMITI CONSISTORIANO,
DELEGATORVM AD COMMERCIA REGENDA
DIRECTORI, ORDINIS IMPERIALIS
S. IOSEPHI EQVITI

PATRONO INDVLGENTISSIMO

EXCELENTISSIMO
ADIVATARISSIMO DOMINO
DOMINO
HIERONIMO LUDOVICO
DE ARMIS
DIVISORI CIVITATIS GOSSEN TERRA
SCHLESWIGI DUCIS SARDINIAE MILITIAE
REX ALLEMANNICUS ET GOTHS DUX
DELEGATIONE AD CONSILIO REGLATOR
DUX GOTHORUM ORBIS IMPERIALIS
ET IACOBINI
PATRONO INDULGENSSI

Quod splendidissimo NOMINI TVO libellum hunc
inscribere sum ausus, tenuem licet, nec ipsi eius
auctori, a quo totus in potestatem meam tra-
ditus, visum satis dignum praestantissima doctrina et summo
acumine TALIS ac TANTI VIRI, cui offerri debebat, eius
quidem consilii grauissimas caussas habuisse mihi video, fortasse
nec iis adeo improbandas, qui caeteroquin temeritatis cuiusdam
me arguere possent, quod TE, VIR ILLVSTRISSIME, ne-
gotiis maxime arduis continuo intentum, et in saluberrimis de re-
publica, cuius partes gubernandae a SERENISSIMO PRIN-
CIPE TVAE dexteritati commissae sunt, consiliis capiendis
perpetuo occupatum, interpellare aut morari sustinui. Praeter-
quam enim, quod specimen diligentiae editurus, TIBI potissimum,
qui liberalium artium et iurisprudentiae peritissimus atque elegan-
tissimus aestimator palam ab omnibus praedicaris, non incommo-
de studiorum rationem me reddere et posse et debere, existimauit:
ipsa etiam recordatio iucundissima profecto insignis illius indulgen-
tiae, qua olim patrem meum defunctum ornasti, a me poscere
videbatur, ut, quam primum fieri posset, TIBI pietatis atque
obseruantiae aliquod monumentum ponerem. Accipe igitur VIR

EXCELLENTISSIME pro eximia illa ac prouisus singulari,
quam in TE omnes venerantur atque suspiciunt, benivolentia hunc
libellum, animi mei sensu gratitudinis et cultu excellentissimarum
TVARVM virtutum plenissimi testem integerrimum, ac patere
simul clientelae et fidei **TVAE**, qua tot bonis frui licet, etiam
me commendari. In quam quidem si recipi a TE mihi contige-
rit, ut reliquis meae vitae felicitatibus satis prospectum putabo, ita
viciissim omni ingenii alacritate, viriumque summa contentione in
eo comitar, ut in studiis litterarum perseverando, **TVA**que immor-
talia in patriam remque publicam merita simul venerando, mu-
nificentia **TVA** liberalitateque dignissimus semper reperiatur. Im-
mortalis Deus cunctorum, quibus humana fortuna censeri solet,
bonorum auctor et benignissimus largitor, seruet TE diutissime in
ILLVSTRISSIMAE DOMVS TVAE splendorem, in uni-
versae patriae, quae TE vehementer amat, utilitatem, in solarium
denique **TVORVM** clientum, quorum pro **TVA** incolumentate
votis has suas preces addidit

ILLVSTRISSIMI TVI NOMINIS

cultor deuotus

FRIDERICVS LUDOVICVS STIEGLITZ



Natos e matrimonio, quod Vasallus cum persona intra gradum prohibitum accedente Principis venia contraxit, a successione in clientelam haud arceri, cum hac scriptiu-
mula ostendere in animum induxissem, fa-
cile praeuidi, extituros esse non nullos, qui mihi occlami-
tarent: At quorsum haec? an vnuquam aliquis ea de re du-
bitauit? Poteratne aliud ei grauius majoribusque implici-
tum difficultatibus argumentum academico libello illustran-
dum deligi, quam hoc, in quo vires ingenii periclitatus
es? At enim vero, quod pace ipsorum dictum velim, rem
profecto non tantopere expeditam reperi, ac fortasse ali-
quibus videri possit. Nam quemadmodum beneficiarii iu-
ris doctrinae ea pars, quae de successione in feudum pre-
cipit, in vniuersum plena est materiarum, super quibus in-




terpretes sententiam rogati diuersimode respondere soleant: ita hoc ipsum, quod explicare adgressi sumus argumentum, non omni penitus opinionum diuortio caruisse dici potest. Et cum praeterea ipsa res, licet raro tamen non nunquam, ut certe forensium Iure consultorum scripta refiantur, in vsu ipsiusque rerum argumentis obuenierit, profecto haud male operam collocasse existimandus erit, qui diuersas de ea doctorum virorum sententias recensere, et accurate examinare, adiecta simul sua opinione, rationibus quantum fieri poterat firmata, instituit.

I.

*Nati e matrimonio Vasalli cum Principis dispensatione inito,
an in feuda succedant? controversum. Variae
1Ctorum sententiae.*

Equidem hanc specialissimam quaestionem tractatus non denuo disquiram, qui fieri soleat, ut, quam quidem rationis dictamen, cuius auctoritate aeternae veritates definiuntur, non improbavit cognitorum propiorum et ad finium coniunctionem, vti iam dudum CHRIST. THOMASIVS infl. iur. diuin. lib. III. c. 2. n. 220. ad 247. et 10. GOTTL. TREVERVS ad SAM. PVFFENDORFF. de Offic. hom. et ciu. lib. II. c. 2. f. 8. p. 414. sequ. euicerunt, sed solae leges Diuinae positivae atque insuper Romani et Canonici Iuris sanctiones, easque, qui sequuntur hodierni provinciarum ac regionum mores damnant, Principes tamen nihil osci-
ficius nonnunquam permittant, eique vim iustarum nuptiarum tribuant. Satis enim constat, Principem, quoniam ex Iuris Publici Vniuersalis principiis ei liberum est, vnum alterumque ciuium ab obligatione legis communis in casu quo-

quodam peculiari eximere, (vid. IVST. HENN. BOEHMERVS in *Introduct. in Ius Publ. Vnuu. P. Sp. lib. II. c. 3. §. 68.* et GOTTPR. ACHENWALLIVS in *Iur. Nat. part. post. lib. III. Sect. 2. tit. 1. §. 115. p. 100.*) aut ipsum quoque, aut certe per eos, quibus hanc facultatem delegavit, singulis ciuium suorum gratiam facere posse, vt in gradibus alioquin prohibitis matrimonium inire queant. Id vnum tantum non omittam annotare, quod et e natura rei intelligitur, eiusmodi coniunctionem, quae absque Principis venia incestuosa fuisset, tunc si haec accessit, plane non premi incommodis atque molestiis iis, quae alioquin illegitimum consortium comitari solent, quandoquidem neque parentes metuent poenam incestui statutam, neque liberi ex isto coitu nati iudicabuntur exsortes iurium, quibus fruuntur legitimi, sed in potestate parentum erunt, eorum conditio nem sequentur, et ideo quoque in bona a parentibus sive testato sive intestato mortuis relicta succedere poterunt. Et successionem quidem in allodia eti his nemo temere negavit, an tamen feuda quoque, extincto Vasallo possessore ad liberos illius e tali matrimonio procreatios, secundum legem inuestituree successionis iure deuolui possint, de eo interpretes inter se haud conuenient. Horum igitur diuersas sententias nunc placet commemorare. Et IO. HENR. BERGERVS quidem in *Elect. Iurisprud. crim. p. 356.* et in *Oecon. Iur. lib. II. tit. 4. th. 37.* BALDI Vol. III. Conf. 129. n. 4. auctoritatem fecutus, natos e matrimonio, quod in gradu per Ius Djuinum prohibito cum Principis tamen dispensatione initum est, ad successionem in feuda admittendos censet, eademque est sententia IO. CASP. HORNII in *Respons. Claff. 3. Resp. 25. p. 219.* si agnati in matrimonium tale consenserunt, et iuri suo ante filios eiusmodi ad successionem



perueniendi in horum fauorem renunciarunt. Idem tamen
 in *Iurispr. Feud. Longob.* cap. *XV.* §. 4: paulo aliter rationes
 subduxit, et discrimine excogitato inter natos e matrimonio,
 quod humana lege quidem damnatur velut incestuolum,
 attamen cum Principis venia contractum est, et
 inter eos, qui e nuptiis iure diuino prohibitis prodierunt,
 illos in clientelam succedere posse statuit, minime vero hos,
 si vel maxime Princeps eiusmodi coniunctionem ineuntibus
 gratiam fecisset. Quod et placet **BVRCH. GOTTH.**
STRUVIO, qui in *Iurispr. Feud.* cap. *IX.* §. 209. scribit:
incestuosi nati ex matrimonio lege humana prohibito succedunt,
minime vero qui ex matrimonio iure diuino prohibito prodierunt,
etiam si dispensatio Principis interuenerit. Contra vero
SAM. STRYCKIUS de success. ab intest. disp. I. cap. 2. thes. 69.
 filios e matrimonio, quod ius Diuinum habet pro incesto,
 editos, etiamsi parentes veniam Principis, quin etiam ipsius
 summi Pontificis et territorialis domini confirmationem im-
 petrassent, successionis in beneficia expertes declarat, et
IO. BALTH. WERNHERVS obseru. forens. select. Part. *VII.*
 Obf. 179. qui ab hac sententia non alienum se professus
 est, manifesto contendit, proximum agnatum cum nato e
 nuptiis talibus de successione in feudum litigantem, si vel
 maxime tum, cum patri accidente Principis dispensatione
 matrimonium hoc ineunti, inuestitura tribueretur, haud
 contradixisset, aut interposita protestatione iura sua tuitus
 esset, nihilosecius vrgere posse, filium ex isto coitu orrum
 intuitu ipsius spuriū haberi, ipsumque haic ob fortius
 ius, quod habeat ad successionem in feudum perueniendi,
 esse praferendum et beneficio inuestiendum. Vtraque
 sententia natitur rationibus, quas examinis trutinae subi-
 cere

cere operae pretium erit, vt appareat, vtra fortior altera et iuris analogiae conuenientior habeatur.

II.

In allatis exemplis matrimoniorum, quae Vasalli cum Principis dispensatione contraxisse dicuntur, viri docti falso deprehendunt species dispensationis in gradibus lege diuina prohibitis. Aduersus hanc dispensatio non obtinet.

Ante vero, quam ad id accedamus, paucis in vniuersum obseruari meretur, humani quid passos esse viros doctos harum diuersarum opinionum defensores, quando sibi persuaserunt, in speciebus allatis occurrere exempla dispensationis aduersus impedimenta matrimonii, quae e prohibitione diuina expressa oriuntur, impetratae. Quod enim apud BERGERVM in Elect. Iurispr. crim. c. l. in responso ab ordine ICtorum Wittebergensium ad interrogacionem D. I. E. S. versus W. M. Julio 1706. dato continetur exemplum dispensationis, quam non nemo a Rege Poloniae et Electore Saxoniae, cuius in territorio bona sita habebat, et tandem quoque hoc intercedente, a Duce Saxo Vinariensi, cui ab officiis erat, impetravit, qui mortua priore uxore huius germanae sororis filiam in matrimonium duxerat, id profecto non sifit speciem dispensationis aduersus legem diuinam, licet Consistorium Vinariense matrimonium, quia habebat pro tali, quod iuri diuino repugnaret, antea nullum atque irritum declarauerit, coniugesque ab omni prorsus cohabitatione abstinere iusterit. Eodem modo res se habet cum exemplo illo, quod responsum Iudicij Prouincialis Marchionatus Lusatiae inferioris

Mense



Mense Aprili ao. 1708 datum complectitur ab HORNIO in
Resp. c. l. exhibitum, in quo proponitur quidam Comes
 Hasso-Casselanus simul in ducatu Würtenbergico bona sita
 possidens, sororis filiam accepta a domino suo territo-
 riali Principe Casselano venia vxorem duxisse, cuius ma-
 trimonii veram rationem, cum postea in terram Würten-
 bergensem, in qua dispensationem nullam petierat nec ob-
 tinuerat, concessisset, constituta fortunarum sede in pae-
 diis ibi sitis, Consistorium sciscitauit, et accurate quoque
 cognovit. Nam haec ipsa species non praebet exemplum
 dispensationis aduersus legem diuinam imperitiae. Et ipse
 HORNIVS *c. l.* faterur, matrimonium hoc ex quorundam
 Theologorum et ICtorum sententia Iuri diuino non contra-
 riari. Nec tandem species a STRYKIO *c. l.* allata, vbi quis
 concubinae suae fororem antea compreslam postea vi Ponti-
 ficiae dispensationis uxorem duxerat, aut altera illa, quam
 adduxit WERNHERVS *c. l.* in qua quis cum fratri vidua
 nuptias contraxisse proponitur, nobis suppeditant genuina
 dispensationis aduersus legem diuinam exempla. Nam
 quamquam facile largior, matrimonia cum his personis non
 nisi post impletatam dispensationem iniri potuisse, id ta-
 men non ideo factum puto, quod ius diuinum ea vetuit, sed
 quoniam leges humanae demum eiusmodi coniunctiones
 reprobarunt. Videntur potius viri docti aduersus legem
 diuinam dispensationi locum esse ideo statuisse, quod hu-
 manas interpretationes a peregrinis principiis Romanae
 graduum computationis repetitas, pro ipsa dispositione
 Diuina habuerunt. Id quod fieri, quoniam oppido fallum
 est, plane non debuisset. Nam hodie quidem constans
 interpretum opinio est, per hanc dispensationem tolli tan-
 tum impedimenta matrimonii iure humano inducta posse,
 neuti-

neutiquam vero ea, quae ex prohibitione diuina expressa oriuntur. Quod nec ipsi STRYCKIVS atque HORNIVS insificantur, manifesto concedentes, humanam ab obligatione legum solutionem aduersus ius diuinum haud procedere, neque ab illa hominis potestate diuinam legem immutari aut dispensando impediri posse. Vbi autem iure diuino expresse prohibitum legitur, vxoris defunctae sororis germanae filiam, aut sororis filiam seu neptem, aut concubinac vel etiam vxoris ipsam sororem in matrimonium ducere? Sane cum in lege diuina moralis *Leuit. XVIII.* et *XX.* quae in consanguinitatis et affinitatis impedimento dispensationis limites constituit, personae determinantur, quas inter nuptiae non consistunt, nulla vero graduum ratio habeatur; nec a paritate graduum principia legem diuinam interpretandi extendendique ad alias personas eodem quamvis gradu constitutas repeti poterunt. Sic certe accurate docuit Vir inter nostrae aetatis ICtos in primis ecclesiastici iuris peritia excellens GEORG. LVD. BOEHMERVS Princip. Iur. Can. lib. III. seq. II. tit. 6. §. 398. Atque inde est, quod nuptiae, quae inter personas prohibitione diuina expressa non contentas inentur, cuiusmodi sunt nuptiae cum defunctae vxoris sorore, sororisue filia vel nepte, cum defuncti mariti fratre, cum auunculo et patruo, cum auunculi vidua, et similes per dispensationem permitti queant, neque diuino iure incestuosae propriæ vocari debeat. Quod quidem argumentum, quia latius iam sunt exsecuti, qui ex instituto ea de re differuerunt, GEORG. HENR. AYRERVS de iure dispensandi circa coniubia seq. III. §. 27. seq. IO. GEORG. PERTSCH de iure dispensandi circa coniugium cum defuncti fratris uxore. IO. DAV. MICHAELIS von Ehe-Gesetzen Moysis cap. 6. pluribus expōnere hic prorsus superfluum foret.

B

III.

III.

*Examinantur rationes, quibus HORNIVS, STRUVIVS atque
BERGERVS natis e matrimonio vasalli cum dispensatione
inito ius in beneficia succedendi vindicarunt.*

Iam vero quod princeps attinet argumentum, in quo opera nostra versatur, et si STRYCKII atque WERNHERI sententia, si prima tantum vice eam contemplatus fueris, magnam speciem probabilitatis prae se ferre videtur, eam tamen vel ideo amplecti nolle, quod rationibus vtriusque viri docti paulo diligentius examinatis opinionem hanc cum iis principiis, e quibus tota res diuidicari debet, prorsus non conuenire, mihi visus sum animaduertere. Nam quod Pontificis dispensatio, quam STRYCKIVS afferit admissionem quidem ad spiritualia neutiquam vero ad temporalia, quibus et successio in bona continetur, operari, aequa minus locum obtineat, atque in vniuersum Principis et territorialis domini concessio aut confirmatio ad infringendum agnatorum ius succedendi et paetis et maiorum prouidentia quaesitum, absque illorum consensu valere possit, quoniam iustum Principem non oporteat alteri in vita ius semel quaesitum eripere; haec quidem et aliae eius generis obiectiones rem profecto non confidere, aut nobis secus sentientibus multum obesse poterunt. Manifesto potius apparebit ex iis, quae postea disputaturi sumus, admissis ad successionem in feuda eiusmodi natis, neque ipsum ius illud singulare, quo successio clientelaris regi solet, a successione in allodia plane diuersum, everti, neque fauorem agnatorum, quibus facultas succedendi et prima uestitura et paetis ac prouidentia maiorum acquisita, iniuitis haud adimenda, debilitari, aut imminui, modo rem accu-

◆◆◆◆◆

accurate et ex genuinis principiis aestimaueris. Verum tamen solis HORNII atque BERGERI rationibus non facile mouerer, vt natis e matrimonio, quod cum puella in gradu prohibito mediante Principis dispensatione initum, successionem in beneficia deferendam statuerem. Alia enim adhuc argumenta oportet suppetere, quorum auctoritate id corroborari possit. Nam quod STRVVIS atque HORNIUS faciunt discrimen inter liberos e matrimonio, quod ius diuinum damnat natos, et inter eos, quos parentes generuerunt e coitu a legibus humanis prohibito, utrisque tamen nuptiis approbante Principe contractis, id non praebet causam, cur illis ius in feuda succedendi neges, hos vero facultatis illius compotes reddas, et oportet ex ratione a nobis patulo ante allata in se corrue. Deinde quem obuerit HORNIUS agnatorum, quibus ius e prima vel simultanea inuestitura quaesitum competit, nec iis invitatis auferri potest, fauorem, qui natos e nuptiis Iure d'ino incestuosis a successione in feudum repellit, nonne is ipse etiam procreatis e matrimonio, quod humana iura prohibent, viam ad succedendi ius consequendum praecluderet? si inde ratio petenda esset ad filios tales clientelaris successionis expertes declarandos. Quod autem BERGVS c. l. desumit argumentum a Principis potestate, qui eiusmodi liberis leuis notae maculam, quam vulgus iis inhaerere falso opinatur, cf. IO. GOTTL. HEINECCIVS de leuis notae macula, in *syllog. Exercit. num. XVII. p. 266.* abstergere, et in civilibus iuribus, inter quae et successio numeranda, eos legitime natis adaequare valet, id quamvis plausum mereri posset, si isti liberi adhuc vere incestuosi essent, quoniam tamen e matrimonio, quod ipsorum parentes cum Principis venia inierunt, editi sunt, neque sta-



tim ab initio illegitima nativitatis esse dici possunt, hic quidem non attendendum erit. Et sunt alia quoque circa hanc assertionem monenda. Non est communis interpretum opinio, ut vir doctus sibi persuasit, dispensationem non secus ac legitimacionem per rescriptum Principis ante patris mortem successionem aequalem efficere, et utramque adeo ius in clientelam succedendi operari. Nam si ROSENTHALIVM de feud. cap. VII. Concl. 19. num. 25. seq. excepéris a BERGERO etiam laudatum, qui utriusque eundem effectum tribuit, caeteros, quos inter sententiae suae defensores numeravit GAILIVM lib. II. Obs. 142. num. 13. seq. MEVIVM in Decis. Part. IX. dec. 126. nonnullosque a VULTEIO de feud. lib. I. num. 184. seq. et 197. excitatos, ne inuenimus quidem in vniuersum per Principis rescriptum legitimatos feudalis successionis participes fieri censuisse, nedum ut dispensationi hanc vim adscripsissent. MELVIVS ea de re prorsus non locutus est, sed tantum de legitimatis per rescriptum Principis, qui in bona aucta seu gentilitia maxime in Bremensis terris ante agnatos succedere valent. GAILIVS autem etsi legitimatos per rescriptum Principis in feuda noua succedere posse putat, quia hoc modo nullum damnum agnatis infertur, cum in ea nihil sciebas succedere haud queant, in feuda tamen antiqua (*Stamm-lehne*) in quaे agnati e partis et primi acquirentis prouidentia succedendi ius sunt nacti, non ab ipso agnato, qui filium naturalem legitimari curat, tali modo legitimatis successionem ante agnatos deferri posse haud statuit alter, quam si domini directi et agnatorum consensus ad hanc legitimacionem accesserit, quoniam iure quaesito priuari haud debent, quod adeo Principes adposita legitimacionis rescripto clausula *falso agnatorum iure illis* lubenter referua-

ri

ri volunt. Atque profecto quomodo existimandum est, ICtos rerum forensium peritissimos hanc assertionem suo assensu comprobare potuisse, cum potius adstipulati fuerint perantiquae fereque visuali interpretationi Iuris Provincialis Alemannici cap. 378. (vid. BERGER in Cod. Iur. Alem. Prouinc. et feud. p. 71. et 247. et de SENKENBERG Corp. Iur. Germ. Tom. II. p. 457.) et, uti G. L. BOEHMERVS Princ. Iur. Feud. Lib. I. Sect. I. cap. 7. §. 123. not. c. scribit, iam inde a Seculo XIII. receptae, secundum quam legitimatos per rescriptum a successione feudali arceri, contra vero per connubium legitimatos ad eam admitti volunt; quamvis hunc locum IO. GOTHOFR. BAVERVS in disp. de success. legitim. per nupt. exule in feud. §. 24. fortasse non iniuria ne de successione quidem in feuda, sed de sola successione in allodia intellexerit, ipsamque hanc interpretationem tota contextus ratio, et Ius Feud. Alemannicum inter et Provincialē metuenda pugna poscere videatur. Et cur Imperatores inter leges, quae obstante non debeant legitimationi spuriorum aliorumque liberorum illegitimorum, expresse meminissent textus II. Feud. 26. §. 11. qui etiam naturales ideoque et per rescriptum Principis legitimatos a successione in feudum repellit, si legitimatio haec in se ius succedendi in beneficia operaretur? Clare hoc admodum probat charta de ao. 1360. apud GLAFFEY Tom. I. Anecdatis num. 15. p. 33. vbi Imp. CAROLYS IV. Petro de Faxoliuis eiusque heredibus masculis, quos Comites Lateranensis Palatii creavit, potestatem largiens legitimandi naturales et spurios, ut in feuda succedere possint, expresse addit verba: *Non obstante C. naturales in decima COLLATIONE, si de feudo fuerit controuersia, nec aliquibus aliis legibus.* Nec non docent litterae legitimationis ab IMP. RUPERTO ao. 1408.

B 3

Ger-

—————

Gerlaco Grans ad successionem hereditatis et bonorum
feudalium concessae, quarum verba apud 10. SCHILTE-
RVM ad Ius Feud. Alem. cap. 40. §. 4. sic habent: *Et insu-
per feudorum mediocrum te redditus capacem, quae NB. de
voluntate Dominorum, a quibus deriugantur, poteris obtinere,
non obstantibus Legibus, Statutis, Observantiis, Consuetudini-
bus feudorum, usibus scriptis et non scriptis, NB. et praesertim
Capitulo Naturales in Rubrica, si de feudo controversia fue-
rit, Collatione X. in Libro feudorum.* Porro etiam diploma
ao. 1410. Cunzmanno de Ettendorff datum, cuius verba
SCHILTERVS c. 1. c. 40. §. 5. retulit, quae ita sonant: *Sun-
derlich sat in nit schaden das Gesetze und Gewonheit IN KEY-
SERLICHEN LEHEN-RECHTEN begriffen in dem Capitel das
anfahet Naturals, in der Rubricken; Ob um Lehen Zweitracht
were noch kein ander Gesetze IN KEYSERLICHEN LEHEN-
RECHTEN oder anderswo begriffen,*

III.

*Quid viris doctis occasionem dederit dubitandi, an etiam natis e
coniugio, quod speciali Principis lege clienti permis-
sum, beneficiaria successio deferri queat?*

At nihilosecius tamen principiis et rationi iuris, opini-
nor, maxime conueniens erit, vt ipsi statuamus, natos e
matrimonio prohibiti gradus cum venia Principis contracto
beneficiali successione frui debere, et mirabile profecto est,
viros doctos, quorum opiniones recensuimus, hic secus
sentire potuisse. Verum quia nouerant e conubio tantum
legitimo procreatos illius successionis participes censi-
cooperunt fortasse dubitare, an editis quoque ex matrimo-
nio, quod absque Principis permisso incestuolum fuisset,
ea

ea patere posset, maxime cum et alii nonnulli, verbi causa ex incestu, e disparagio, nec non e matrimonio ad morganaticam nati, (recte enim in textu II. F. 26. §. 15. particulam non male omissam substituit CASP. BITSCHIUS in *Comm. ad usus feud. lib. II. tit. 26. §. 15. num. 3.*) porro adoptini, quin etiam naturales, et hodie qui ab his, concubinatu quippe per *Reform. Polit. de ao. 1530. tit. 33.* publice profiliato, plane non differunt, spuri, ut iam vidit PETR. GREGOR. THOLOSANVS *syntagm. Iur. Vniuers. lib. 45. cap. 6.* siue per subsequens connubium siue per rescriptum Principis legitimati sint, clientelaris successionis expertes habentur. Sed quod hi in feuda non succedant, id descendit e priscis Germanorum moribus ac institutis, quae olim a Longobardis potissimum Italiae fines ingressis illinc illata, postea recentiori aetate in Iuris Feudalis Longobardici collectionem migrarunt, et in ipsa etiam Germania medii aeui temporibus retenta fuerunt tanquam consuetudines, id quod satis probant notissima loca II. F. 26. §. 8. II. 15. VET. AVCT. de benef. cap. 1. § 4. IUS FEVD. SAX. lib. 1. art. 2. IUS FEVD. ALEM. cap. 1. §. 4. et latius deduxerunt, qui singulis hisce argumentis explicandis diligenter operam nauarunt IO. GEORG. ESTOR in *Diff. Vestigia Iuris Germanici in Iur. Can. c. 1. X. de spons. de odio in matrimonio inaequa:ia et restri:to iure nobilitatis Germ. quoad connubia, G. L. BOEHMERVS de impari matrimonio et iure liberorum ex eo natorum circa successionem feudalem. DAV. GE. STRUBEN von ungleichen Ehen, Tom. V. der Nebenft. p. 232--262. et p. 560--564. ERN. FRID. KNORRIVS de success. adoptiōrum in feuda §. 15. et IO. GOTTF. BAVERVS de successione legitimitorum per nuptias exulte in feudis.* Quis autem mihi ostendat legem, quae natos e persona in gradu prohibito,

quam

=

quam quis Principe dispensante vxorem duxit beneficiali
successione priuet? aut quo alio argumento a beneficialium
consuetudinum analogia ducto illos hac facultate exuere
sustineat? Obiter tantum moneo, verba II. F. 26. §. 11.
*Naturales filii, licet postea siant legitimi, ad successionem feudi
nec soli, nec cum aliis admittuntur:* haud dubie tam de legiti-
matis per subsequens matrimonium, quam per Principis
rescriptum intelligenda videli. Vix enim subest rationis
quicquam, cur per interpretationem e Romano et Canoni-
co iure petitam ad legitimatos per rescriptum vnu fori, de
quo testantur HART. PISTORIUS, SAM. DE COCCEII, IVST.
HENN. BOEHMERVS, IO. TOB. REINHARDVS, aliquae
plures, quorum libros partim Vir Perillusstr. IO. STEPH.
PUTTERVS in *Prim. Lin. Iur. Princip. priuati Lib. I. c. 3.*
§. 32. not. f.) partim BOEHMERVS *Princ. Iur. Feud. c. 1.* ex-
citarunt, qui posterior hos et ipse securus est, restricta sint.
Et sane cum verba, ipso BOEHMERO non diffidente, indefi-
nite posita sint, et omnes legitimati promiscue exclusi, lege
ipsa non distinguente nulla Interpretum distinctione opus
videtur. Silentio iam praetereo alia argumenta a BAVERO
e priscis Germanorum institutis ac moribus petita, quibus
euicit, per nuptias legitimatis successionem patere prorsus
non potuisse. Contra haec quidem et si nouissime disputa-
vit, qui in primis aduersus BAVERVM insurrexit IO. LVD.
IVST. GREINEISSEN in *Diff. de success. in feudum filiis per*
subsequens matrimonium legitimatis haud deneganda, quam
praefide IO. ERDM. SCHMIDIO in Ienensi Academia de-
fendit, vereor tamen ut hanc sententiam euerteritur, neque
ipsa omni fori vnu destituta dici potest. Nam a regia Can-
cellaria Iustitiae Hannoverana ao. 1760. in Principatu Gru-
benhageni, ubi constitutio Henrici Iulii de ao. 1593. et *Re-*
cess.

cess. Gandersheimensis de ao. 1601. art. 31. in Tom. IV. Corp. Constat. Calemb. p. 32. 49. qua vtraque prouinciali lege alioquin legitimati per connubium a successione in feuda excluduntur, prorsus non valent, sed tota res e lufe feudali Longobardico debebat aestimari, per nuptias legitimato feuda patris abiudicata sunt, quam sententiam quoque Facultas Iuridica Vniuersitatis Rostochiensis ao. 1762. adiectis idoneis rationibus confirmauit, quas videre est ap. STRUBEN in Rechtl. Bedenken Tom. III. Bed. 53.


V.

Nati e nuptiis clientum, qui Principis dispensationem consecuti sunt, in feuda succedunt, quia sunt legitimi, nec ea regnatis damnum infertur.

Sed vt redeamus nunc, vnde digressi sumus, profecto inde, quod non nisi e matrimonio legitimo geniti in clientelas succedant, natis eiusmodi, de quibus nos loquimur, non poterit successio in clientelas negari. Nam hi ipsi, vt in vniuersum, ita nec intuitu feudorum illegitimi sunt, cum ipsum matrimonium, e quo nati, non fuerit illegitimum. Parum profecto reuerenter de Principis potestate iudicare, quin etiam maiestatem illius violare puto eum, qui nuptias cum dispensatione initas tanquam illegitimas impugnat, et natis ex illis quaestionem status mouet, quandoquidem Princeps veniam largiendo vxorem, quae omnimani cognitionem in matrimonio haberi haud poterat, ducendi, nihil aliud agit, quam vt ciuem ab obligatione legum, quae gradus nuptiarum prohibitos definiunt, immunem declareret, id quod ipsi ex potestate leges ferendi, et ab iis, quemcunque velit, soluendi datum esse deber. Quod

C

etsi



et si quoque aduersarii sunt facile concessuri, quo tamen assertioni aliquis color quaeratur, sub quo e tali connubio orti nihilo secus a successione in feudum repellantur, fauorem agnatorum obuerunt, quorum in detrimentum a vasallo nihil tale fieri citra eorum consensum possit, id autem agi, si hic personam in gradu a legibus Principis sui prohibito, quantumvis mediante dispensatione vxorem diceret. At enim vero, ut etiam huic obiectioni obuiam eamus, quomodo poterunt agnati queri de iure in feudum succedendi, quod e pacis et prouidentia maiorum sunt nati, ipsis erupto aut certe deminuto? Profecto cum agnati, aut iis in locis, vbi simultanea inuestitura obtinet vsu, coinuestiti, extinctis demum vasallo eiusque descendantibus masculis e legitimo connubio ortis successionis iure in feudo gaudeant, nati autem e nuptiis, quas vasallus propter legum ciuilium impedimenta aliter, quam Principis consensu, contrahere haud poterat, illegitimi non habeantur; hos a iure illo remouere, aut praerogatiua pree iis in successione postulare non valebunt. Et quid resert agnatorum, siue vasallus vxorem ducat, quam statim per leges ei habere licet, siue eam, quacum imperata demum Principis dispensatione nuptias celebrare potest? Vnde et hic superfluae erunt rationes, quibus WERNHERVS i. l. exclusis liberis vasallis e tali connubio ortis successionem statim agnatis deferendam esse contendit. Neque enim hic Princeps dispensatione sua dicendus est ius semel quae situm agnatis inuitis admissi, quippe qui tale nondum habebant, sed tunc tantum habituri fuissent, si liberi hi illegitimi forent, quales tamen post acceperam dispensationem non sunt, vt racciam huc prorsus non quadam argumenta e Iure Romano L. 62. D. de Pac*t.* L. 2. §. 10. et 16. D. ne quid in loco

publ.

*publ. L. & C. de emanc. lib. ducta, quibus in locis dicitur,
non licere Principi subditorum iura euertere, cum aliud sit
subditum esse aliud vasallum, et a neutro ad alterum con-
clusio fieri debeat.*

§. VI.

*Nec admissis ad successionem clientelarem filii vasalli e coniun-
ctione post impetratam Principis dispensationem inita, dominii
directi iura minuuntur, siue vasallus domino simul tanquam Prin-
cipi subdit, siue ei non pareat, siue denique dominus
directus et vasallus eundem Principem
habeant.*

Nec temere quis dicat, admissis ad successionem feu-
dalem eiusmodi liberis iura domini directi imminui, cum
statim tali matrimonio non contrafacto, nec natis ex eo ex-
tantibus, feudum tanquam apertum prius in manus domi-
ni potuisset recidere. Nam et huic obiectioni facile potest
occurri. Verum hic potissimum tres illae species a se inui-
ceni probe erunt distinguae. Aut enim dominus direc-
tus vasallo simul imperat, quoniam ille Princeps, hic sub-
ditus. Aut inter utrumque nulla vñquam alia, quam quae
clientelari conuentione constitui solet, obligatio contracta.
Aut denique tam dominus, quam cliens simul eidem Prin-
cipi dispensanti obtemperant. At nulla tamen harum spe-
cierum aliam causae nostrae decisionem posset. Quodsi
enim dominus directus simul vasalli Princeps ob iurisdi-
ctionem ecclesiasticam, quae ipsi in vasallum, in illius terri-
torio ac regione habitantem competit, dispensationem hanc
impertiuit, statim de re omni transactum erit, et ne mente
quidem fingi poterit diminutio iurium directi dominii.


C 2

Nam



Nam dominus simul Princeps poterat dispensationem hanc negare, quod cum haud fecerit, sibi debet imputare, siquidem volenti non sit iniuria. Verum hic non immerito aliquis quaerere potest, anne matrimonii huius cum dispensatione initi effecta impugnare natisque exinde ius in feudum succedendi in dubitationem vocare possit; alius Princeps nullam dispensationem largitus, a quo idem vasallus bona sub feudi lege tenet, et licet in illius territorio domicilium non habeat, caeterum tamen siue tantum ob bona clientelaria superioritati huius territoriali obnoxia simul illi pareat subditus, Landsassiatu nempe minus pleno suscepito, ad reale homagium obstrictus, siue adeo tanquam plenus Landsassius, praefrito quippe homagio personali, forum subiectionis etiam in causis personalibus non feudalibus agnoscere teneatur, quae peculiaris territoriorum Germaniae obseruantia olim in Marchionatu Brandenburgico ante sublatum nexum feudalem obtinuit, neque solum adhuc hodie in Brunsuicensibus et Hassiacis terris, sed et in Luneburgico ducatu, quin etiam in ipsa Saxonia Electorali viget, vbi adeo ad simultanee investitos eorumque liberos utriusque sexus extensa, ut testantur auctores a BOEHMERO c. 1. lib. I. Sect. II. c. 1. §. 279. c. et d.) laudati, et quibus de LVDOLFF in Symphor. Cameral. Tom. II. Part. 2. num. 2. FRID. ES. PVFFENDORFIVM de Iurisdic. Germ. Part. III. S. 3. c. 1. §. 13. et de BERGER in Decis. num. 283. addere liceat. Sed nec hoc fieri posse putamus. Etenim cum matrimonium, cuius validitas aequa ac caeterorum pactorum semper e loco, vbi inita sunt, aestimanda, in territorio, vbi vasallus commoratur, aut in se legitimum, aut certe a Principe peculiari ex causa valorem naustum esset; etiam exterus Princeps, cuius quis vasallus simul ac subditus

tus est, licet in eius territorio haud domicilium constituerit, illud ratum habebit, liberosque exinde natos pro legitimis agnosceret. At enim uero nec dominus directus, si ipsum inter et vasallum omne negotium intra nudae beneficiariae conuentionis fines substituit, et cliens alius plane Principis potestati territoriali subiectus sit, quod in regula sic se habet, cum dominum directum inter et Principem aequie ac vasallum et subditum magna differentia intercedat, quam latius excusit. IO. HENR. HILDEBRANDVS *de vasallagio subiunctionem non inferente*: poterit obmouere, iuribus dominii sui detrahi quicquam per matrimonium vasalli cum Principis huius dispensatione contractum, et liberis ex eo extantibus, qui succedere cupiunt tanquam legitimi, retardari aperturam feudi, cuius casus alioquin citius contingere potuisset. Nam cum dominus legitimos ad successionem in feuda semper admittere teneatur, nati autem e tali connubio legitimorum natalium iure gaudent, neque vilibi a legibus in feuda successionis expertes sint declarati, praeterea vero ad dominum directum plane non referat, siue vasillus, cui in vniuersum nuprias ineundi facultate haud si interdictum, personam statim per leges Principis sui habere permissem, siue aliam mediante Principis dispensatione vxorem duxerit, sane quomodo possit dominus directus natis ex hoc matrimonio sub obtentu, quod iura sua minuantur, successionem in feudum negare, non intelligo. Neque enim domini directi, sed solius Principis, qui iurisdictione ecclesiastica in vasallum gaudent, est, aestimare, an matrimonium legitimum sit, et si tale non sit, ei valorem iusti connubii tribuere. Multo minus autem dominus directus, si ipse et vasillus eidem Principi obtemperant, uti sunt comites nonnulli alterius ter-



ritoriali iuri subiecti, et adeo nobiles mediati quidam, a quibus etiam nobiles feuda tenent, ut probant exempla, quae recensuerunt autores a BOEHMERO c. 1. Lib. 1. sect. 1. cap. 4. §. 84. b) laudati, quibus addimus STRVBN im Rechtl. Bedenk. Tom. II. Bed. 142. poterit his liberis facultatem in clientelam succedendi dubiam reddere. Nam hic quidem, utpote simul subditus Principis a quo vasallus dispensationem consecutus est, si reniteretur, natusque ex isto connubio successionem in beneficium deserri nollet, supremam Principis potestatem tanquam in se met ipsum haud agnoscet, propter hunc contemptum adeo puniendus.


VII.

Nati e matrimonio cum dispensatione Pontificis inito adeo in feuda in territoriis Germaniae Principum Protestantium sita succedunt, si formula praouinciae et mores curiarum patientur, clientelas a catholicis possideri.

Atque in vniuersum vi dicam, quod sentio, quam in regionibus Protestantium Principes et Euangelici status ex politia ecclesiae Euangelicae ob iura regiminis ecclesiastici reseruata exercent dispensandi aduersus impedimenta matrimonii humano iure inducta potestatem, in terris autem Catholicorum, vbi Romanae ecclesiae sacra dominantur, Pontifex, qui difficultates a Iure Pontificio nuptiis obiectas remouere, et Germaniae quoque Episcopis eius rei facultatem in nonnullis speciebus in singula quadriennia concedere solet. cf. ANACL. REIFFENSTVEL in *Iur. Can. Tom. IV.* p. 127. 128. eam et dominus feudi agnatique, quod effecta illius atque ius liberorum e tali matrimonio progenitorum in beneficium succedendi attinet, ratam habere tenentur.

Vnde

Vnde etiam facile poterit responderi ad quaestione, quam
 mouet IUST. HENN. BOEHMERVS ad CORVINI *Ius Canon.*
lib. II. tit. XIII. §. 73. 2) an liberi ex matrimonio cum dif-
 pensatione Pontificis inito nati in Germania in bona in ter-
 ritorii Protestantum sita iure feudi succedere valeant?
 Nam cum hoc matrimonium a Pontifice, cuius ecclesiasti-
 cae iurisdictioni omnes Pontificiorum sacris addicti, ipso-
 rumque Protestantum Principum subditi catholici subfunt,
 valorem nactum, ideoque statim ab initio legitimum esset,
 et liberi exinde nati legitimi habeantur, ad successionem au-
 tem in beneficium ii, qui sunt legitimorum natalium ad-
 mittantur, haud dubie hi liberi, si caeteroquin formula ter-
 ritoriorum Germaniae, quae Principes Protestantes possi-
 dent, eorumque clientelarum curiarum mores ferant, ut
 ea holici feuda teneant, iis successionis iure potiri poter-
 ant. Nam quae BOEHMERO fortasse occasionem ea de
 re dubitandi dederat Instrumenti Pacis Osnabrugensis Cae-
 sareo Sueuici dispositio *Art. V. §. 48.* vbi sancitum, ut ius
 dioecesanum et tota iurisdictione ecclesiastica cum omnibus
 suis speciebus contra Augustanae confessionis Electores,
 Principes, Status, (comprehensa libera Imperii Nobilitate)
 eorumque subditos, tam inter Catholicos, et Augustanae
 confessioni addictos, quam inter ipsos solos Augustanae
 confessionis Status usque ad compositionem Christianam
 dissidii religionis suspensa sit, et intra terminos territorii
 cuiusque ius dioecesarum et iurisdictione ecclesiastica se con-
 tineat: ea tantum abeat, ut nostrae opinioni obesse possit,
 ut potius hic plane non pertineat. Nam quod Germaniae
 Principes Augustanae confessioni addicti, natos e matrimo-
 nio tali ad successionem in feuda, in suis territoriis sita,
 admittere teneantur, modo formula prouinciae et mos cu-
 riae



riae feudalis non repugnant, exinde nondum statim inferri debet, a Pontifice quoque ecclesiastica iurisdictionem in eorum territoriis exerceri, aut hoc ipso hanc potestate ei adeo tribui. Id tantum conceditur, sine quo res nec expediti potest, nempe quoniam nati e matrimonio, quod catholici intra gradum iure Pontificio prohibitum cum Pontificis dispensatione inierunt, quamque ab Euangelicis Principibus adipisci nequibant, quippe non horum, sed filius Pontificis iurisdictioni ecclesiasticae subiecti, legitimè censentur, cum ipsae haec nuptiae statim ab initio non illegitima fuerint, his quoque in feuda successionem, quae legitimis defertur, patere posse. Quae cum ita sint, nec videatur opus esse cautione, quam forte quis commendet, ut vasallus personam in gradu prohibito vxorem ducturus, post impetratam Principis dispensationem, etiam domini directi et agnatorum in has nuptias consensum nancisci studeat ad auertendas difficultates, quae alioquin filii suis obiici possent. Nam hoc quidem consensu ob rationes a nobis iam allatas prorsus non indiget. Et quid? cum Principes nostri Imperii Romano Germanici Catholici, quando matrimonium intra gradum iure Pontificio prohibitum inire volunt, Pontificis, cuius in causis matrimonialibus ecclesiasticae iurisdictioni subsunt, dispensatione indigeant cf. IVST. HENN. BOEHMERVS in *Iur. Eccles. Protest.* Lib. IV. tit. 14. §. 42. sequ. Tom. IV. p. 182. seq. nonne admissa hac STRYCKII atque WERNHERI sententia etiam filii illorum Principum e tali connubio natis, Imperator tanquam feudorum imperii prodominus et agnati sub obtentu, quod parentum nuptiae citra eorum consensum celebratae ius succedendi in prouincias ac territoria, quae sub lege feudi ab Imperatore et Imperio recognoscuntur, in controversiam vocare

vocare possent? Et nonne tunc quodammodo durioris conditionis forent, quam filii Euangelicorum Principum, quibus intuitu successionis in feuda imperii eiusmodi difficultates neque ab Imperatore, neque ab agnatis obici possunt, propterea quod hi Principes, matrimonium intra gradum lege humana vetitum inituri, nulla prorsus dispensatione opus habent, quippe supra eam, sicuti supra ipsam legem prohibitiuam constituti, et hac in causa adeo ab ipsa caefarea iurisdictione exempti (IO. PETR. de LVDEWIG de praecipuo Principiis Euangelici cap. XII, p. 45. sequ. Vir III. IO. CHRIST. HENR. de SELCHOW Elem. Iur. Publ. Tom. II. sect. 2. tit. 1. §. 543. et quos laudauit PÜTTERVS c. 1. lib. II. cap. 1. §. 70. a.) ita, vt, si conscientiae ipsorum haud videatur repugnare, ne ad legem quidem diuinam Mosaicam hac in re obseruandam cogi queant. Haec si vterque vir doctus satis caute antea perpendisset, si e sententia, quam tuui sunt, manifesto consequi ac colligi ea, quae ad clientes, quorum conditio non omnium eadem, sed status varius, dignitates diversae, accommodari nullatenus possunt, diligenter praeuidissent, profecto rationibus longe aliter subductis, eam ipsi prorsus relicturi fuissent.



D

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
V I R O
FRIDERICO LVDOVICO STIEGLITZ
LIPSIENSIS
S. P. D.
CHRISTIANVS RAV

Cum academicorum studiorum cursum fere emensus ex more
scholae ad cathedram speciminis diligentiae atque profe-
ssuum edendi causa a me perduci velles, ut ea in re amicissimo-
rum commititonum desiderio nunquam deesse soleo, ita et huic TVAE
voluntati tanto lubentius obsequium praestandum duxi, quanto
honorificentius mihi met ipsi futurum intelligebam in publicum
prodire cum viro tali, quem praeter natalium splendorem et
gloriam maiorum, AVI et PATRIS, quorum utriusque prae-
clara in rempublicam Lipsiamque ciuitatem merita hodie-
num optimus quisque laudat ac veneratur, ipse etiam propriae,
nascendi praerogativa longe excellentiores animi ingenitique do-
tes, discendi cupiditas, elegantia doctrinae, morumque suavitatis
in signiter conspicuum, et cunctis, qui virtutem satis aestimare no-
runt, egregie commendabilem redditum. Disputandi argumentum
praebuit clientelaris iuris disciplina, cuius notitiam cum TIBI
eadem diligentia paraueris, qua ad caeteras prudentiae partes
incubuisti, spes mihi non potest non certissima esse, TE libellum
hunc tam strenue ac fortiter esse defensurum, ut ingenii TVI
dexteritas atque doctrinae ubertas, quae mihi quidem alio iam
tem-

*tempore innotuerunt, per hanc occasionem aliis quoque patefactas
iustis laudibus ornentur, atque condecorentur. Caeterum hunc
diem DOM VI TVAE solemnam ex animo gratulor non TI-
BI solum, sed etiam potissimum INDVLGENTISSIMAE
MATRI TVAE, quae, cum sit TVI amantissima, summam
profectio ex hoc TVO die capiet voluptatem. Gratulor vniuersae
TVAE familiae, quae ipsa hodie de TE magnopere laetabitur,
et a TVA virtute magnum aliquando sibi ornamentum promittit.
Opto vehementer, ut diuina providentia diligentiam TVAM mox
praemiis amplissimis ornet, atque TE saluum incolumemque in de-
cus familiae TVAE, in patriae reique publicae emolumentum
tueatur atque conseruet omni bonorum, quae a diuino numine
hominibus euenire possunt, genere austum et cumulatum. Ita vale,
meque TVI studioſſimum mutuo amore completere. Scripti
in Lipsia Litterarum Vniuersitate ad d. xiv. Ian. A. C.
CIOCCCLXXVII.*



J. 788.

ULB Halle
005 377 420

3



R. S. num. 8
1777/40.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

DE NATIS
EX MATRIMONIO VASALLI
CVM DISPENSATIONE PRINCIPIS
INITO A SVCCESIONE IN FEVDA
HAVD EXCLVSIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

C H R I S T I A N O R A V

I. V. D. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.

A. D. XIX. IVNII MDCCLXXVII

H. L. Q. C.

D I S P U T A B I T

F R I D E R I C V S L V D O V I C V S S T I E G L I T Z
L I P S I E N S I S

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA

